

Werk

Titel: Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla
Untertitel: Libri tres
Autor: Petitus, Petrus
Verlag: Lankisch; Guntherus
Ort: Lipsiae; Lipsiae
Jahr: 1686
Kollektion: VD17-Mainstream
Gattung: Altertumskunde
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN737373385
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>

LOG Id: LOG_0011
LOG Titel: Caput XII. - Caput XX.
LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

adagio vide Cælum eius ciuitatis lumen lib. 14.
Antiquarum Lectionum cap. 21. Atque ex his
omnibus non absurde aliquis suspicetur, barba-
tam fuisse Sibyllam; tametsi nusquam ab aliquo
obseruatum memini. Sed hæc animi gratia.

CAPVT XIIIX.

*Sibyllæ viuacitas perperam a Lucia-
no omissa in libro de longæuis.*

Curtam diu vixerit

Sibylla.

Vulgatum id quoque de Sibylla & multorum
monumentis proditum; inter alia naturæ
eius insignia, de quibus supra, hoc quoque affu-
isse, vt quam diutissime & pene vltra limites hu-
mani æui vitam prorogaret: nam & Aristoteles,
vt iam animaduersum, in eo libro quem scripsit de
iis, quæ auditu mirabilia sunt, hanc πολυχεργιω-
ταῖν vocat. Quod miror fugisse diligentiam
Luciani, in libro qui inscriptus est Μαρεβίος,
cum tam multos in eo catalogo longæuos re-
ferat, minus claros quam fuit Sibylla, quæ
primum in omni vaticinantium multitudine
apud ethnicos locum dignitatis tenuit, cuius-
que viuacitas adeo prætergressa est vistatos
æui humani fines, vt in prouerbium abierit Sibyl-
la senectus; Brodæo teste lib. i. Variar. Lection.
cap. 34. & Sibyllæ anni apud Papinium in Siluis

Euboici transcendere pulueris annos.

Puluerem enim Euboicum appellat, quem illa manibus haustum optauit esse mensuram numeri annorum quos victura esset, cum ei Apollo poscendi quod veller arbitrium obtulisset. Qua de re ita Seruius memorat in 6. Aeneid. ad hunc versum :

*Olli sic breuiter fata est longa uia Sacerdos.
Sibyllam Apollo pio amore dilexit, & ei obtulit poscendi quod veller arbitrium. Illa haustis arenam manibus, & longam vitam poposcit; cui Apollo respondit, id posse fieri, si Erythrum insulam in qua habitabat relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus vitam in sola voce retinuit. Quod cum ciues eius agnouissent, siue inuidia siue miseratione commoti ei epistolam miserunt, creta antiquo more obsignatam. Qua visa terra, (nam erat de eius insula) in mortem resoluta est. Sane egregia fabella, ad quam & Onidius respexit his versibus:*

contemptio munere Phoebi

Innuba permaneo: sed iam felicior etas

Terga dedit, tremuloque gaudu venit agra senectus,

Quae patienda diu est: nam iam mibi secula septem

Acta vides: supereft, numeros ut pulueris aequem. Fabula, inquam, sed cui verum subesse, velut plerisque antiquorum, solers speculator inueniet. Si nihil aliud arena illa, quam manibus plenis Sibylla haussisse dicitur, significatum quam

ma-

magnum tempus dicamus, in cuius fluxu varia sibi succedunt instantia, ut Aristoteles docet lib. 4. Φυσικῆς ἀναγνώσεως. Instantia dico, quæ partes temporis fluentes copulant, Græce νῦν, nunc: aliter punctum temporis & momentum, a motu quem tempus metitur, vocamus: sunt enim individua, & punctis, quibus vñiri & finiri partes magnitudinis intelliguntur, proportione respondent. Aio igitur, arenæ granulis, cum sint minutissima, significari in ea fabula instantia temporis, si particulæ illæ paulatim per aliquam angustiam transmitti & perpetuo fluere cogitentur; vt in ea machina quæ pulueris lapsu horas metitur. Quod enim in clepsydra est aqua, id in eo horologio est arena sive puluis; quod propterea non in se ita quidem Græco vocabulo e re inuento κλέψυδρον vocant. Elegans simulacrum temporis, sed cuius inuentor ignoratur, quod ingenue Polydorus Virgilius in librorum de rerum inuentoribus calce testatur. Quisquis autem huius inuentor fuit, ab hac fabula de arena & annis Sibyllæ originem duxisse arbitror, hincque occasionem datam horas arenæ fluxu & machinulæ conuersione metiendi. Huic autem amore causam præbuisse ostendit Amaltheus in diuino epigrammate, quod quin hic adscribam temperare non possum:

Perspicuo puluis vitro qui diuidit horas,

Et leuis angustum sæpe recurrit iter,

Quondam erat Alcippus ; qui Gallæ vt vi-
dit ocellos.

Arsit, & est rapido factus ab igne cinis.
Irrequiete cinis miseros testabere amantes
More tuo nulla posse quiete frui.

Quod igitur arenæ granulis tempus in ea fabula
designatum est , aptius quicquam cogitari non
potuit ; quod numerum annorum numero are-
næ particularum exæquandum poposcesse atque
illi concessum ferunt , supra omnem fidem & fa-
bulositatem videri debet ; quemadmodum quod
Phlegon Trallianus in Longæuis hanc mille an-
nos tradit vixisse , credat qui volet : tametsi vi-
tæ tempus illi longe vltra consuetos humanæ
ætatis limites productum , tam consentienti au-
ctorum testimonio credendum est . Ac quot
annos vixerit , definire neque homini ulli prom-
ptum , neque ad rem pertinet : modo probabiles
tam longæ eius & stupendæ viuacitatis caritas in-
dagare atque explicare non alienum a præsenti
instituto arbitror .

Primum igitur nobis in hac consideratione
occurrit vitæ genus & propositum . Procul enim
ab hominum commercio in antris vni contem-
plationi deditam vixisse proditum est . Quibus
rebus vitam in amplius æui spatiū prorogari ,
non fuitiles rerum naturæ interpretes docent .
De contemplatione quidem , quod corpus eius
beneficio confirmetur atque etiam iuuenescat ,
sententia est Cardani in decimo quarto librorum
de

de Subtilitate , tametsi vulgo aliter videtur : Mens , inquit , *in his que intelliguntur non laborat : æterna enim est , velut & species.* Et rursus : Non laborat igitur mens , quia in tempore non est ; imo contemplatio ipsam animam exhilarat , & iuuentem producit : viuimus enim tantummodo dum contemplamur. Suffragatur Cardano Franciscus Baco Verulamius exercitati auctor ingenii in physicis , vtpote ab ipsa curiositate per vniuersum prope terrarum orbem ad capiendas de rebus experientias quasi manu deductus. Quid igitur hic de iis qui secessu & contemplatione vitam transigunt , quales prisci anachoretæ fuerunt , & Sibyllam fuisse ponimus , senserit & scriptum reliquerit in eo commentario cui titulus est *Historia vitae & mortis* , ipsius verbis subiungere placet : *Vita religiosa & in sacris occupata videtur ad longæuitatem facere.* Sunt in hoc genere vita otium , admiratio & contemplatio rerum diuinarum , gaudia non sensualia , spes nobiles , metus salubres , mœrores dulces , denique renouationes continuæ per paenitentias & expiationes : quæ omnia ad diuturnitatem vite potenter faciunt. Quibus si accedat dieta illa austera , que massam corporis induret , spiritus humiliet , nihil mirum si sequatur longæuitas insignis : qualsi fuit Pauli eremite , Simeonis Stilitæ , anachoretæ columnaris , & complurium aliorum monachorum ex eremo & anachoretarum.

Sed neque nobis ratio ex rei ipsius natura

prompta deest, quamobrem veram hanc opinionem credamus. Nempe ut ait Cardanus, magna est contemplationis voluptas: quod & Philosophus testatur lib. 10. cap. 7. Moralium ad Nicomachum: *δοκεῖ γὰρ (inquit) ἡ οὐφία ταύπα-
σις ἡδονὴ εἶχεν καταρρέοντην τὸ ταῦ βεβαιόν, mi-
rabiles sapientia habere, puritate & fruendi con-
stantia, voluptates videtur.* Sciunt autem omnes qui experiuntur. Puritate quidem excellunt, quia mentis operationem qua nihil sanctius sequuntur; stabilitate autem & constantia, ob naturam earum rerum quae in contemplatione versantur: huiusmodi enim natura est rerum diuinarum quae non mutantur. Cum igitur mens in his defixa haeret, simul & spiritus animae ad omnem functionem ministri consistunt: minus igitur tunc dissipantur. Ita ea parte animi, quae ceteris praest, erecta ac, ut Cicero in primo de Diuinatione ait, fatterata bonarum cogitationum epulis, anima maxime vigescit & roboratur: quod fit, ut corpori magis dominetur, fluidam eius compaginem potenter contineat, sibique constrainiat. Cum enim anima sit actus & perfectio corporis, fieri non potest, ut ipsa, cum in optimo quem habere possit statu & perfectione constituitur, non in eandem boni societatem corpus naturali sympathia pertrahat. Hoc modo igitur fit, quod Apostolus dicit, corpus spiritale ex animali, quantum scilicet vitae huius conditio fert; ac sic ab anima comprehenditur, ut minimam pro-

propriæ substantiæ dissipationem patiatur. Hæc quam apte veterum sapientum dictis congruante, ex hocce Zoroastris oraculo patet,

Ἐντείνας τύεινον νέῳ

Ἐγειρόντες εὐσεβίης, πεντὸν νέῳ σῶμα σωθῆνται.
Si mentem ardente ad opus pietatis intenderis,
fluxum corpus feruabis. Neque enim puto aliquem esse tam vescanum, vt rerum diuinarum contemplationem pietatis operibus annumerandam negare audeat.

Quæ autem in contrarium Scaliger in 309 exercitationum earum quas ad Cardanum scripsit, contra eam opinionem assert, ea per facile ex ea ipsa quam ibi habet disputatione soluuntur. quæ nihil aliud probat, nisi nimia & superflua contemplatione & vigiliis immoderatis dissipari spiritus tenuiores, animæ instrumenta, viæ foimenta absumi atque fundamenta labefactari. Sed de huiusmodi speculatione quæ modum excedat, Cardanus eam se protulisse sententiam plane inficiatur, atque ita mentem suam declarat in prima actione in calumniatorem librorum de subtilitate: *Multum (inquit) interest inter contemplationem quæ est meditatio eorum quæ sciuntur, tum in uentionem rerum nouarum quæ delectant & vitam producunt: & molestiam animi quæ acquiritur descendere atque interpretando cum difficultate.* Sed & Scaliger ipse eo loco ostendit, non se de omni contemplatione eam censuram profiteri, sed de ea tantum, quæ modum excedit & nimio labore fatigat.

fatigat. Ita disputatio illa ad nihilum reddit, vel certe explanationis potius quam impugnationis loco haberi debet.

Alterum quod in Sibyllæ instituto & viuendi genere considerandum venit, est loci in quo frequentius agitabat conditio. Spelunca enim hanc præ domo usam omnes dicunt. Satis incommodum quidem, & si mores nostros spectemus, integratum domicilium, præsertim feminæ; sed tamen non fugiendum ei qui vitam quoquo modo in longius tempus producere velit, & diu quam bene viuere malit. Quod enim & talis habitatio locorum subterraneorum iis qui illam ferre possunt ad longæuitatem non parum adiumenti afferat, cum rationibus e naturali contemplatione ductis, tum longæuorum complurium exemplis, qui sic vixerunt, docet Verulamius supra laudatus in Historia vitæ & mortis: ex quo non dubitat inter causas longæ vitæ hanc quoque referre, si quis in terræ cauernis habitet. *Vita* (inquit) in antris & speluncis, ubi aer non recipit radios solis, possit facere ad longæuitatem: aer enim per se ad prædationem corporis non multum potest, nisi calore excitatus. Certe si quis memoriam rerum recolat, ex pluribus reliquiis & monumentis constare videtur, fuisse hominum magnitudines & staturas longe iis quæ postea fuerunt grandiores, ut in Sicilia & aliis nonnullis locis. Istiusmodi autem homines in speluncis plerumque ætatem degebant: atqui diuturnitas ætatis & ampli-

amplitudo membrorum habent nonnihil commune. Etiam antrum Epimenidis inter fabulas ambulat. Suspicor etiam vitam anachoretarum columnarium simile quippiam fuisse vite in antris: quippe ubi radii solis parum penetrabant, neque aer magnas mutationes aut inæqualitates recipere poterat. Illud certum, utrumque Simeonem Stylitam, & Danielem, & Sabam, atque alios anachoretas columnares admodum longæuos fuisse. Etiam anachoretae moderni intra muros aut columnas septi & clausi longæui sèpius reperiuntur. Clara hæc Verulamii disputatio, quæ eo tendit ut longæuos qui in antris habitant propterea esse demonstret, quia aer ibi minus radiis solis attenuatur & incalescit: qui cum sit immobilis & crassiusculus, minus adeo corpus penetret, non ita substantiam eius depascitur. Fortasse & qui e terra assidue manant halitus, ut supra dicebamus, valent ad corporis constipationem & quandam membris soliditatem afferunt, quæ res non parum conferre ad vitam diuturnam creditur.

Sed cum omnium philosophorum & medicorum sententia nihil adeo ad longam vitam faciat, quam alimentorum conditio & vtendi ratio, hanc præcipuam Sibyllæ longæuitatis causam haud dubitem ponere. Conditio optima cibi ad diu viuendum est, ut sit simplex, nullis condimentis adulteratus: quicquid contra argutetur Marcio apud Plutarchum lib. 4. Sympos. cap. 1. & Eustathius apud Macrobius lib. 7. satur-

turnaliorum cap. 5. Magis enim me mouet Aristotelis iudicium , qui in prima sectione Quæstionum naturalium insalubrem esse omnem in cibis varietatem pronuntiat : ή πειλη τροφή νευρῶδες· ταραχώδης γδ , καὶ σύνταξις . Hæc namque negotium naturæ & perturbationem affert , propterea quod cibi multum diuersi eodem tempore non possunt a calore ventriculi confici , sed unus citius , alius longiori tempore ; quo fit ut una & æqualis horum coctio non succedat , & simul cocta & cruda in venas rapiantur . Hanc autem confusionem ut valetudini , sic longæ vitæ multum obesse consentaneum est . Quod igitur Sibylla simplici admodum parabilique vietu vfa sit , non multis verbis opus esse arbitror ad probandum de muliere solitaria & in antris viuente : sed nec vaticinii professioni & vitæ sanctitati cum ferculis lautarum mensarum & gulæ illecebris conuenit ; potius cum simplici & puriore alimento . Ita enim Græcis mos eum cibum qui sit simplex & illaboratus *purum* vocare ; quo genus propheticum & sapientes omnium nationum , qui longæui fuisse memorantur , vfos fuisse testatur Lucianus in Macrobiis . Locum adscribere placet , vt hominum in iis , quæ non modo ad vitæ longitudinem sed etiam sanctitatem faciunt , consensus pateat . Πιθανὸν δὲ ἐν ἔιπ , ἀνδραὶ θεοῖς ἀνακείμενον , καὶ παθαρωτέρᾳ διάτῃ χεωρίμον τὸν Τερεσίαν Ὀπιμήνιζον Σιῶνα . εὐλογένη δὲ ὅλα μακρόβια ἴσορεῖται διὰ τὴν δια-

ταῖ,

ταν, ὡσπερ Αἰγυπτίων ὁι καλέμδροι ιερογερμ-
ματῖς, Ασυρίων δὲ καὶ Αράβων ὁι ἐξηγητοι τῶν
μύθων. Ινδῶν δὲ ὁι καλέμδροι Βραχμανες, ἀν-
δρες ἀκριβῶς Φιλοσοφία χειλάζοντες, καὶ ὁι κα-
λέμδροι δὲ Μάγοι, γένοι τότο μαγικὸν καὶ Θεοῖς
ινανείμδρον, ἀρχή τε Πέρσαις, καὶ Πάρθοις, καὶ
Βάκτροις, καὶ Χωροσιοῖς, καὶ Δρείοις, καὶ Σά-
καις, καὶ Μῆδοις, καὶ ἀρχὴ πολλοῖς ἄλλοις Βαρ-
βάροις. Ερώμενοι τέ εἰσι καὶ πολυχερνοι, διὰ τὸ
μαγεύειν Δαιτόμδροι καὶ αὐτοὶ ἀκριβέστεροι. id
est, Credibile est autem, Tiresiam hominem Diis
deuotum & puriore viētus ratione utentem ad lon-
gissimum tempus vitam prorogasse. Quin totas
nationes talis viētus beneficio longevas fuisse legi-
mus. In his qui sacri scriba apud Αἴγυπτος dice-
bantur; qui item apud Ασσύριος & Αράβες fabu-
larum interpretes; Brachmanes quoque Indorum
accurate philosophiae studiis vacantes; præterea
quos magos vocant. Genus illud fatidicum &
Diis dicatum apud Persas, & Parthos, & Ba-
etros, & Chorasmios, & Arios, & Saccas, & Me-
dos, & alias multas gentes barbaras; qui & fir-
ma corporis valetudine utuntur, & longeui exi-
stunt, cum magiae beneficio quam exercent, tum
quod & ipsi accuratiorem viētus formam se-
quantur.

Atque hinc Lucianum propriis verbis con-
vincimus, non recte omisisse Sibyllam in ea hi-
storia, quam dat, longeavorum; quæ neque mi-
nus Diis consecrata, neque minus vaticinio in-

cly-

elyta fuerit, quam Tiresias: immo longe eo nobilior & in ore omnium fuit. Ex quo etiam verisimile est, non fuisse hanc magiae imperitam, sed earum artium arcana edocetam quæ tantum cum Diis commercium haberet. Est autem Magia nihil aliud nisi *θεῶν θεατεία*; ita enim hanc Plato in Alcibiade i. definit, & ex illo Apuleius in Apologia: ratio scilicet colendi Deos. Quo pacto accepta ad religionem omnino pertinet; magusque plane idem quod sacerdos qui leges scit & docet ceremoniarum, fas sacrorum, ius religionum. Quem magiae modum excellerenter tenuisse Sibyllam, responsa ab ea edita & oracula indicant, de quibus infra. Cæterum obtinuit etiam usus ut Magia dicatur ea scientia naturalis pars, quæ in virium naturæ occultarum experientiis versatur, & solerti agentium cum patientibus compositione inusitatos edit effectus, quos vulgus imperitum dæmonibus adscribit. Ita enim solent ignari de iis iudicare quæ captum eorum superant. Quidni igitur & huius magiae gnaram fuisse Sibyllam dicamus, vitamque his artibus ad longissimum temporis spatium sibi conseruasse, quod quæ maxime in natura occultis ad longæuitatem faciunt, siue proprio studio & inuestigatione, siue dæmonis cui ministrabat monstratu, comperta & explorata haberet? Certe Rogerius Baccho, celebris magiae istius naturalis auctor, hoc artis illius præcipuum censet votum, ut aliquis sibi vitam ultra usitatos natu-

naturæ fines conseruet ; quemadmodum testatum reliquit in libello de mirabili potestate artis & naturæ his verbis : *Vltimus gradus in quem potest artis complementum cum omni naturæ potestate, est prolongatio vitæ usque in magnum tempus.* Quod autem hoc sit possibile multa experimenta docuerunt. Exinde exempla affert quorumdam, qui vitam sibi arte & secretis medicamentis ad miraculum produxerunt. Quæ falsa necesse est videantur iis, qui naturæ potentiam & opes parum animo præ imperitia æstimare valent : quemadmodum etiam Plinius in septimo historiæ naturalis libro cap. I. admonet : *Natura vero rerum vis atque maiestas, in omnibus momentis fide caret : si quis modo partes eius ac non totam complectatur animo.* Sed de Sibyllæ vita longa & eius causis hactenus.

CAPVT XIX.

De solitudine Sibyllæ, & eorum qui soli viuere possunt differentiis.

Nunc & de Sibyllæ solitudine aliquid dicamus : quam quidem multum illi placuisse, ex aliis eius proprietatibus supra explicatis intelligi potest. Sed quia variis causis homines ad solitudinem impelli possunt, non videtur alienum a proposito eas causas considerare, ita enim fiet

vt magis fatidicæ illius ingenium & præstantia ab omnibus cognoscatur.

Primum illud constare debet, quod & cuius perspicuum esse arbitror, neminem posse in solitudine viuere nisi qui ad id vitæ genus natura aptus sit: aliter non diu in eo statu permanere poterit, sed aut eum mutabit, aut ipse mutabitur; hoc est, succumbet tædio & desperatione extinguetur. Aptus autem homo omnino & animo & corpore ut intelligatur, vtriusque partis habitus ad id institutum conspiret necesse est. Habitum voco quam liceat nobis cum Philosophis vocare aptitudinem, dictione haud Ciceroniana quidem, sed tamen clara & necessaria. Est autem aptitudo quædam accommodatio, qua quis natura vel habitu ad aliquid agendum vel patiendum accommodatur. Quæ definitio est Augustini Niphi, inter recentiores Italiæ philosophos facile principis, in libro quem de iis qui apte in solitudine viuere possunt composuit. Qui liber inter alia eius opuscula, Gabrielis Naudæi conciuis mei viri clarissimi studio edita, extat.

Cum autem multa in corpore existant per quæ ad aliquid aptus quis censeatur; quæ scilicet corporis bona dicuntur; sunt autem hæc: sanitas, robur, viuacitas, pulchritudo, velocitas pedum, visus & aliorum sensuum acumen; ex his sanam & satis firmam corporis constitutionem solitario maxime esse necessariam censet Niphus, & ex dictis patebit. Sed & ea corporis constitutio quæ

quæ sit ad diu viuendum accommodata, licet non simpliciter est necessaria, solitario tamen ut diu vitæ solitariæ bono fruatur, & felix dici possit, apprime esse conuenientem ex sequentibus etiam intelligetur. Neque enim felix quisquam, nisi in satis longo temporis spatio, in quo ætatis curriculum ad metam naturæ legitimam perduci possit, dicendus auctore Philosopho in primo Moral. ad Nicomachum. Quæ omnia magis postea patebunt.

Porro si iis quæ dixi corporis dotibus homines ad vitam in solitudine degendam idonei efficiuntur, non minus profecto eidem instituto fiunt apti iis quæ in anima fita sunt commodis, moribus scilicet ad omnem virtutem probe temperatis & apta animi ad contemplandum indole, cuius præcipue operatione ceu necessario alimento vita in secessu sustentari potest. An autem & externa fortuitaque commoda ei qui in solitudine vixturus sit necessaria sint, quæritur. Amplas quidem opes impedimento esse potius quam adiumento secessum & pacem amanti manifestis vita ipsa documentis monstrat; diuites sentiunt quibus fortuna mentem non ademit, neque illud euenit, *stultitiam patiuntur opes.* Præterea vbi res ampla est, ibi negotia & multitudo ministrantium adsit necesse est, aut breui omnis illa opulentia dilabatur & pereat. Neque enim dominus per se domestica omnia agere possit: quo fit ut nemini valde locupleti solitario & otio-

so esse liceat. An autem mediocris res familiaris parata solitario esse debet, ad eorum suppeditationem quæ sunt vitæ necessaria? Victum vtique & vestitum habeat necesse est, sine quibus viui nullo modo potest. Verum neque istud de omni solitario liceat pronunciare: sunt enim plures eorum modi, vt videre est apud eundem Niphum dicto libro *de iis, qui apte in solitudine viuere possunt.* Quatuor autem distinguit genera solitiorum: vnum diuinum & heroicum; alterum ferinum; tertium quod humanum appellat; quartum ciuale. Primum & alterum genus habemus apud Aristotelem in primo πολιτικῶν cap. 2. duobus locis: οὐδὲ ὁ ἄπολις διὰ Φύσιν οὐδὲ διὰ τίχην, ἀπὸ Φαῦλοῦ δέν, οὐ κρείττων οὐ ἀνθρωποῦ. Qui absque ciuitate est per naturam non autem fortuna coactus, is aut nequam est, aut homine melior. Rursus paulo infra in eodem capite; οὐ δὲ μὴ δυνάμενος ξονωσεῖν, οὐ μηδὲν δεδημένος διὰ αὐτοφυείαν, δέν μέρος πόλεως. Ἀσε οὐ θεοίον οὐ θεός. Qui autem in communi societate esse non potest, aut nulla re indiget, quod sibi ipse sufficiat, non est pars vlla ciuitatis: quare aut bestia est aut Deus. Reliqua duo genera solitiorum licet non tam expresse notata apud Aristotelem ostendere possumus, tamen ex variis eius dictis accipiuntur. Interim quem *humanum* vocet solitarium Niphus, ipse ibidem explicat: hunc scilicet, qui in agris quidem & locis remotis dedit, verum non ita totus in contemplatione est, vt non aliquam

quam rei familiaris curam habeat, ac famulis, qui sibi more hominum necessaria subministrent, v-tatur. Hunc autem vitæ solitariæ modum exprimit Niphus ex iis quæ habentur in lib. 10. Moral. ad Nicomachum, quo loco Philosophus quem proponit contemplatione beatum, licet hunc *αὐτοφεύσατον* censet, rebus tamen externis non posse carere statuit, quia homo est: *δεῖνος δὲ οὐ τῆς ἀκτος ἐνηργείας αὐθεώπω οὐν.* Huius vitæ exempla habemus in Democrito, qui ut Hippocrates in epistolis testatur, rure agebat libris & contemplationi vacans, non tamen sine famulis qui rem familiarem curarent: in Heraclito, qui in montibus viuebat, tametsi hic propior solitariis diuinis: in Anaxagora, qui patrimonium amplum propinquis concessit, ut ea cura liberatus vni contemplationi vacaret: in Platone, qui in Academiæ secessu nemoroſo ætatem philosophiæ studiis transegit: in Marone & Horatio, qui urbis contemptores amica Musis otia latissim fundis suis carpebant, seruorum interim & vernarum turba succincti.

Ciudem demum appellat solitarium, quisquis in urbe agitans ortu & habitatione ciuis dici potest, non autem viuendi instituto, quia nullam reipublicæ attingit partem, & prorsus a negotio omni publico abstinet. Talem vitam Athenis agebat Socrates, urbi ita affixus ut quæ extra moenia essent ignoraret, & præ ignorantia mirarentur, cum aliquando in vicinum agrum a Phædro

deductus fuisset; quo nomine eum Phædrus amice increpat. Cui ille hunc in modum respondet: Ignosce mihi, optime Phædre: nam discendi cupidus sum, agri vero & arbores nihil me docere possunt, sed homines qui in vrbe versantur. Homines ii vt plurimum adolescentes ingenui, aut sophistæ, aut vates, aut rhapsodi erant, cum quibus in gymnasiis & palæstris aut amicorum conuiuiis disputabat. Ita ciuis erat Socrates & non erat; loco vt dixi ciuis, viuendi ratione solitarius, quia veri vbique inuestigator & contemplationi addictus, cui inter vrbis strepitus vacabat: vel, vt Niphus dicit, mente solitarius, corpore ciuilis. Nec dubitem in eodem ciuilium solitariorum albo ponere Ciceronem, post amisam rempublicam, ex iis quæ habet in præfatione libri secundi Officiorum: *Cum autem res publica, in qua omnis mea eura, cogitatio, opera ponī solebat, nulla esset omnino; illæ scilicet literæ conticuerunt, forenses & senatoriæ.* Nihil autem agere cum animus non posset, in iis studiis ab initio versatus ætatis, existimauit honestissime molestias deponi posse, si me ad philosophiam retulisse. Omnes denique qui in vrbibus versantes philosophiæ & aliarum ingenuarum artium studiis ætatem transigunt, in eandem solitariorum classem esse redigendos palam est. Ac de quadruplici solitudinem colentium genere hactenus.

Ex his ad quam potissimum horum solitario-
rum classem Sibylla pertineat, non difficile est

con-

constituere. Iis enim quos Aristoteles deos, Niphus diuinos appellat, esse aggregandam, non immerito aliquis existimauerit, quæ in antris habitaret, & re familiari & famulatu omni careret, sola (ut verisimile est) benignitate eorum quibus responsa dabat de futuro vitam toleraret. Neque huic conieaturæ obstat, quod Erythræa dicta sit, aut ab aliis vrbibus nomen traxerit. Non enim sic nominata, quod in vrbibus habitaret, sed quia prope & in regione, quod ad denominacionem sufficit. Sed de his nominibus infra accuratius agemus; quæ hominibus imposuerunt, ut quæ vna esset vates, plures esse crederentur. Sic vixisse Sibyllam arbitror (absit comparationi inuidia) ut olim lumina eremi Paulus, Antonius, Hilarion vixerunt: vel ut Elias Thesbites, & Johannes Baptista, ambo diuinissimi & digni qui angelis potius quam hominibus annumerentur. De quorum vita in hoc mundo sic Paulus Apostolus loquitur ad Hebræos cap. II. versu 37. ἀειτὸν
 ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγαίοις δέρμασιν ὑσερέμδροι,
 θλιβόμδροι, πανχύσυλροι (ῶν τὸν ἦν ἀξιόν
 ςόσμῳ) ἐν ἐρημίαις πλανώμδροι, καὶ ὄρεσι καὶ
 σηλαιοῖς, καὶ ταῖς ὄπαις τῆς γῆς. Circumuagati
 sunt in ouium & caprarum pellibus, egentes, pressi
 & afficti, quibus dignus non erat mundus; in soli-
 tudinibus errantes, in montibus, in speluncis & ca-
 uernis terræ. Quibus addit Niphus Elpidium
 Cappadocem, qui bis tantum vescebatur in heb-
 domada; Medericum Edunensem, qui semel

tantum ; & Aristotelis temporibus Polydorum Prieneum , quem sola contemplatione vixisse, neque vñquam alimentis aliis aut vestimentis extensisue vllis vsum tradunt. Quod si verum est, supra naturæ humanæ conditionem factum vide ri debet ; siue quapiam diuina sorte accidit ; siue, quod potius reor de ethnico , dæmonis potestate talibus prodigiis hominibus aliquando illudentis, ad faciendam iis diuinitatis opinionem : vel innata illi ambitione imitandi opera Dei in sanctis ; de quo supra est dictum. Est enim dæmon simia Dei.

Quod cum considero , non mihi videtur absurdum , aliquid eiusmodi dæmonem patrasse ad sustentandum Sibyllæ corpusculum , quale Deum fecisse legimus ad necessaria Eliæ & Joanni præcursori suppeditanda in deserto : & postea Paulo anachoretarum principi , auctore Hieronymo in eius vita. Legimus in tertio Regnorū , Eliam cum esset in solitudine torrentis Carith pastum fuisse a coruis , singulari Dei prouidentia illi necessaria hoc modo exhibente. Et factum est verbum Domini ad eum dicens : recede hinc & vade contra orientem , & abscondere in torrente Carith , qui est contra Jordānem ; & ibi de torrente bibes : coruisque præcepi , vt pascant te ibi. Non me latet ambiguum esse nomen in textu Hebræo , quo non modo corui sed etiam Arabes intelligi possint , vt notat Hieronymus ad hæc verba Esaiæ 15. Et visitatio eorum ad torrentem salicū ducent eos ; sed

sed rectius eo loco Regnorum coruos exponi, res quæ ibi agitur declarat: iubet enim Deus abscondi prophetam in torrente &c. Quomodo igitur absconditus potuit alimenta accipere ab hominibus & latere regem Achab? Confirmat & quod de Paulo primo anachoreta idem Hieronymus tradit, quem itidem sexaginta annos in solitudine corui ministerio panem quotidie afferentis sustentatum refert. Diuinus autem Joannes præcursor a puero in desertis versatus melle agresti & locustis vitam tolerasse narratur Matth. 3.4. Quidni igitur, si dæmonia diuinis opera compare licet, eodem modo credamus dæmonis industria pastam in antris & desertis Sibyllam?

Non desunt tamen qui nonnullam corporis humani proprietatem in diuinis solitariis subesse suspicentur. Qua de re Philosophus Sueßianus dicto loco hunc in modum refert: *Alii vero boni Peripatetici eum solitarium posse conditionem, qua superat humanam naturam, lucrari autumant ex principiis generationis. Homo enim ex principiis ortus non modo elementariam naturam sibi comparare potest, qua est calidus, frigidus, humidus, vel siccus, aut inter hos medius; quaue est cholericus, sanguineus, phlegmaticus, metancholicus, vel inter hos temperatus; verum etiam eam quæ a medicis hodie materialis complexio dicitur, quæque insequens materiam appellatur: sic enim nunc vocatur. Vbi complexionem materiale vocat, quæ propriam cuiusque hominis particularis materiam sequitur;*

tur; quam scilicet alias proprietatem individualem dicimus: cuiusmodi innumerabiles existunt in hominibus, cum nemo sit cui non sua a primordiis naturæ atque ortu contigerit. Huiusmodi etiam proprietatem agnoscit Auenrois in sexto eorum librorum, quos vulgus Colliget nomine barbaro appellat. *Quilibet materia, inquit, habet accidentia propria & fixa in ipsa, sine accidentibus quæ manant a forma. Et hæc accidentia, quæ sunt in materia sunt causa varietatum, quæ in naturis individuorum inueniuntur.* Non immrito autem has proprietates *materiales* vocant: cum enim ad formam, quæ speciem humanam constituit, referri non possint, superest ut materialē adscribantur; non illi communi omnibus, sed ut dixi, propriæ cuiusque hominis, quæ ut aperi-
tius exponam, nihil aliud est nisi modus quidam & qualitas temperamenti, quam Galenus in I. ad Glauconem initio, *ἰδιοτυγχανοῖς* vocat: ex qua eæ proprietates manant quas Alexander in præfatione problematum *ἰδιότητας ἀρρήτες* ab iisdem medicis dici testatur.

Censet igitur Niphus, Aristotelis sententia tam interdum fieri concursum elementorum in corporis constitutione, ex quo aliquis ingenio ad virtutem inusitato & continentia heroica nascatur: præterea quam paucissimis aut nullis egestat alimentis & tegumentis, vitam denique ultra humanæ viuacitatis metam proroget. Quin Gentilis Fulginas, qui Auisennam commentariis

illu-

illustrauit, Eliam prophetam ex perfecta temperamenti æqualitate, & æquilibri ad vnguem in eius corpore proportione elementorum, potuisse quauis in mundi regione & elemento consistere putat; quod eius corpus æquatis perfecte elementorum qualitatibus ad vnam potius quam aliam loci differentiam non inclinaret. Ex quo factum credit, vt propheta ille in turbine igneo & curru equorum flammantium recipi posset. Hoc scilicet nixus dicto Auenrois, quod est in primo de caelo text. comm. 7. *si componeretur (inquit) æqualiter aliquod corpus, posset non moueri omnino sed staret, quocumque in loco poneretur.* Vbi ingenii humani imbecillitatem contemplari licet, & doctorum infelicitatem conqueri, quibus ipsa illudat philosophia, ipsa ratio superflua causarum indagatione in insaniam erumpat. Nam si quod Gentilis opinatur verum sit, sequitur & Christum Dominum eadem ad amissim æquali elementorum proportione ambulasse pedibus super mare, & quadraginta dies totos in eremo absque cibo & potu tolerasse. Omnia quæ de miraculis eius & aliorum sanctorum leguntur, ad aliquam occultam naturæ proprietatem, puta animæ præstantem vigorem vt censuit Algazel, aut ad materialem complexionem & indiuidui proprietatem referetur. Ita multorum, quæ religio credenda proponit, fides periclitabitur, imo prorsus labefactabitur. Quanto satius est atque etiam veræ philosophiæ congruentius, in arduis eiusmodi

modi & inusitatis aliquam vim agnoscere natura præstantiorem, quæ talia moderetur, neque naturalibus causis assignare, quæ earum potentiam superant? Quo sane tandem Suessanus philosophus reddit, qui hic Peripateticorum suorum partes mauult deferere, quam veritatem. Ita enim sermonem de solitario diuino terminat: *Verum inger nos & Peripateticos hanc differentiam arbitramur.* Nam Peripatetici illud fieri posse putant naturæ tam vniuersalis quam particularis beneficio: quod Auseanna dilucide exponere enisus est. Nos vero in Joanne Baptista & aliis id genus ex diuina ordinatione factum esse censemus: quam diuinam ordinationem licet Aristoteles ignorauerit, qui cuncta lumina naturali tradit, tamen id factum esse aliquando, nec ignorauit, nec negauit, cum huiusmodi hominem libro Politicorum primo appellat Deum.

CAPVT XX.

De ferina ad vitam solitariam indele, & de belluinis temperamentis.

Sed de viris illis sanctissimis, quantum iis natura, quantum naturæ auctor Deus facultatis ad virtutem contulerit, Theologis accuratiis discutiendum relinquamus. Ut autem suscepimus de Sibyllæ solitudine sermonem absoluamus, consequens videtur ut de ea quoque solitarii differen-

ferentia, quæ minus nobilis & bestiam sapit, aliquid pro instituti modo dicamus. Quosdam igitur nasci ingenio tam inhumano, ut societatem ferre non possint, quos Græci ἀπανθρώπους & μισανθρώπους, hoc est, ab hominibus alienos & abhorrentes, hominum osores, vocant, multis rerum & literarum documentis ostendi potest. Primum enim Cyclopes occurunt apud Homerum, ferarum ritu in montium speluncis viuentes, nulla inter se societate aut commercio coniuncti: ita enim de iis tradit,

Ἥμισένδει τὸ έπος
Παιῶν τὴν ἀλόχων· σὸν αὐλητῶν ἀλέγετο.
Fus autem dat unusquisque

Liberis atque uxoribus: neque se inuicem curant.

Hos igitur agrestes natura & ferinos fuisse, vitæ institutum & consuetudo indicat; quam vt plurimum ex natura proficiunt Galenus in libro quem de ea scripsit, notat. Sed & Timon ille Atheniensis in eo albo, vniuersi generis humani odio insignis & nomen adeptus: nam μισανθρώπος vulgo dictus fuit. Fortassis & Metabus Priuernatium regulus, Camillæ pater, talis fuit; de quo Maro in undecimo Æneidos sic:

*Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere: neque ipse manus feritate dedisset.*

Ita enim Seruius exponit: si qui etiam eum suscipere voluissent, ille tamen eorum consortia morum feritate fugisset. Heroicis autem temporibus Hippolytus Thesei filius intraestabili quadam mo-

rum

rum duritia & toruitate inflexibili fuisse memoratur, ideoque in montibus & locis solis venatis se exercens hominum congressus fugiebat: qui vsque adeo ferus & inhumanus fuisse dicitur, vt nullis se mulierum illecebris inflecti pateretur. Quæ res illi magnam perniciem attulit insidiis nouercæ, vt tragœdiis vulgatum. Quin ne morte quidem mores pristinos & solitudinis amorem narrant deponere potuisse, sed ad vitam postliminio reuocatum arte Æsculapii vixisse exinde semper abstrusum in siluis.

*At Triuia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Ægeriæ, nemoriique relegat;
Solus ubi in siluis Italæ ignobilis æuum
Exigeret.*

Atque hæc istius generis hominum, qui ingenii feritate solitariam vitam sequuntur, exempla attulisse sufficiat. Sed viros huius monstri reperi, qui hominum societatem fugiant & auersentur, non adeo equidem admirer; quam nonnullas in eodem albo feminas extitisse, quæ scilicet solæ in antris ferarum more viuere vellent. Multo enim mitiore sunt ingenio quam mares, in belluarum etiam genere, Aristotele auctore lib. 9. Histor. animal. cap. 1. tum quanto iis corpus infirmius quam viris contingit, tanto minus viuire possunt in solis locis & priuatione omnis auxili humani. Quod tamen aliquæ eiusmodi extiterint, exemplo esse potest Atalanta Jasonis filia apud Ælianum lib. 13. Var. Hist. cap. 1. Enim uero

uero si quæ de eius virginis moribus & habitatio-
ne narrat, vera sunt ; vrsis potius quam puellis
annumerandam putem. Quid enim aliud dicam
de ea, quæ ab infantia lupæ vberibus educata, in
Arcadiæ montibus antro & siluis horrendis inclu-
sa vixerit? Nec dubitem, inter alia agrestis & fe-
rinæ indolis argumenta ponere inusitatam velo-
citatem pedum, qua feras quoque ipsas cursu
assequebatur fugientes, aut irruentes post se
relinquebat & frustrabatur. Habebat & in vul-
tu ferinum quid, certe asperius rigidiusque quam
ferri posset in femina, nedum virgine ; tametsi
pulchram fuisse & viris expetitam Ælianus dicit:
in quo aliqua est pugnantia. Sic autem de oris
eius filo & specie prodit : ἀρρενωπὸν δὲ καὶ γοεγὸν
Ἐλεπε. τότο μὲν καὶ ἐπὶ τὴν θεοφῆς. ἐπεὶ
καὶ θυμοειδῆς ἦν. & paulo post : πορφύρον τε καὶ
ράδιον ὅδεν εἶχεν. & γόνον διλάμψ τεγρίδα, ὅδε
ἦν τὸ μπρέστι, καὶ πίθαις τρεφομένων. id
est, fuit virili & toruo aspectu : quod illi ex victu
ferino ; siquidem & iracunda erat. Puellare qui-
dem nibil neque molle habuit : neque enim de thala-
mo prodierat, aut more aliarum sub matre & in nu-
tricis gremio educata fuerit. Merito igitur dissimilis
aliis, cui tam diuersa educatio & viuendi
genus contigisset. At Vates incomparabilis hæc
omnia in Camilla, fera quoque virgine & simili-
ter educata, uno epitheto expressit, vel certe co-
gitandum obiecit :

Turnus ad hæc oculos horrenda in virgine fixus.
Timanthis velamen est hoc epithetum, quo au-
dito

dito plura se animo offerunt, quam Poeta ullis verbis exprimere potuisset.

Simile quid in corporis habitu & oris effigie cultuque Sibyllæ fuisse putandum est, quo & ipsa visu horrenda dici posset; tametsi verbis exprimere promptum non est, sed animo aestimare licet, quæ ad venerationem visentes impelleret, humanam fugeret societatem, in antris habitaret, victu non minus diuerso uteretur. Ex quo etiam verisimile fit, & prope adducor ut credam, hanc in ordinem potius & classem referendam eorum solitariorum, quos Aristoteles feris comparat, quam eorum qui studio contemplationis secundunt, atque ut deorum vitam agentes diuinitatis appellatione ornantur. Quæ coniectura si cui magis arridet, non continuo improbare debet quæ supra de ingenii felicitate & mentis præstantia in Sibylla exposuimus; sed cogitare debet, in tam vetustis & ideo incertis neque a quoquam hactenus tentatis, ita nobis esse versandum ut possimus, ac sufficere, si multa hinc inde conferamus verisimilia, atque in medio ponamus doctis & cordatis viris dijudicanda; ex quibus quisque quod magis placeat eligat. Sicubi enim alias, hic profecto suo cuique abundare iudicio licet.

Solum quid *feritatis* vocabulo intelligam, nolum quemquam ignorare. Non enim quam virtuti heroicæ opponit Aristoteles, quouis vitio deteriorem, hominum humanitatis omnis experitum & sola figura differentium a belluis: qualis feri-

feritas est anthropophagorum, & si quæ aliæ nationes sine lege, sine religione, solis sensibus brutorum more viuunt; de quibus Aristoteles in septimo Moralium cap. 6. Sed eorum, qui naturali animi rigore & toruitate a societate abhorrentes vitam segregem eligunt; cumque montium speluncis abditi, vel in campis desertis vagantes, victu infelici vtantur, variis cæli iniuriis patentes, minus tamen morbis vexantur, sed causis externis fortius quam pro natura humana resistunt: quibus si aliquando lædantur, ac morbos contrahant, ab iis sponte nulla medicorum opera euadunt. Quod esse belluinium testatur Auenrois lib. 7. Colligit. cap. 31. Verba adscribam: *Multos inuenies complexiones habentes densas, qui ex fortibus ægritudinibus euadunt sine medico & medicina: sicut barbari & Arabes, qui in deserto habitant. Et hoc sit, quia aliquam cum brutis assimilationem habent; & pro majori parte hos accidit illis qui complexionem habent effrenem.*

